

Acatiani heretici dicti sunt, de quibus est in can. Acatius 1. & 2. 24. quæst. 1. & canon. Secundum. Distinct. 19. & apud Euagr. libro 2. capite 16. Sozom. libr. 7. capite II. denique Nicephorum Callistum libro 16. cap. 16. Sed ut omnes tandem Eutychianæ hæresis reliquias tolleret Iustinianus primus, Constantinopolim vniuersalem synodum cōuocauit, quæ quinta generalis & œcumenica dicta est, à qua omnes istæ pestes & fæces damnatæ prorsusque iugulatæ & exterstæ videbantur, nisi postea Satanæ astu & interpolatis Monophysitarum, &c. nominibus miserè reuixissent. Nam & Iustinianus ipse earum oppugnator Theodoræ vxoris blanditiis illectus tandem Aphthartodocitarum veneno imbutus & infectus est.

CAP. XCIIII.

Mirabiliarij & Enthousiaſtæ quid docuerint & quam
late stragem in Ecclesia ediderint.

Mirabiliarii, Miracularii & Miratores dicti sunt ii omnes, qui miraculorum à se vel ab aliis editorum prætextu vel nouum in Ecclesia Dei errorem induixerunt, vel veterem renouarunt. Cùm enim propter tot nouas hæreses in dies enascentes nihil iam ex scripto Dei verbo in negotio fidei certò constitui posse videretur, quod singuli heretici Sacras scripturas ad se traherent, & ex iis sui erroris confirmationem petere se iactarent, visa est tandem hæc expeditissima & optima veritatis dignoscendæ ratio, si ad miracula recurreretur, vt eorum vera doctrina esse censeretur, qui fecissent miracula: Vel si